



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Illustrissimo ac Generosissimo S. R. I. Comiti Josepho Mariæ Fugger  
Domino in Wellenburg, Wasserburg, Welden, ...


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](#)



*Illusterrimo ac Generosissimo S. R. I.*  
**COMITI**  
**JOSEPHO MARIAE**  
**FUGGER**

Domino in Wellenburg, Wasserburg, Wel-  
den, Biberbach, Rettenbach, Gottenau, Gablingen,  
Reinhartshausen, & Wald. &c. &c.

*Domino suo perquam Gratioſo.*



## Illusterrissime S. R. I. Comes Domine perquam Gratiose.



Ostquam Divinus Orbis Redemptor pro mundi nocentis salute in Cruce extinctus est, sacrosanctum Christi Corpus ab hora nona, quae nobis tertia pomeridiana est, usque ad seram vesperam in infami stipite pependit, à carnificibus laniatum, à Judæis condemnatum, à sacerdotibus blasphematum, à toto mundo derelictum. Indigna res! erant tunc Jerosolymis, prout magnæ auctoritatis scriptores testantur, ultrà quadragies centena millia, seu quatuor milliones hominum, qui ad celebrandum tempus Paschale ex omni orbis parte confluxerant, & in tam immensa hominum multitudine neminem reperire sit, qui Dominici Corporis curam habeat? ubi nunc tot ægri, surdi, claudi, cæci, paralytici à languoribus suis sanati? ubi quinque hominum millia prodigioso pane pasta? ubi Discipuli, & Apostolorum cœtus? abierte omnes!

Et

*Epistola Dedicatoria.*

Et ecce! in extrema hac derelictione unus unicus erat, qui Divino cadaveri sepulturam parabat, videlicet nobilis Josephus, vir dives ac præpotens de Rama, Decurio, & Senator Ierosolymitanus. Hic, quoniam clandestinus Christi Discipulus, *& ipse erat exspectans regnum Dei*, audacter ingressus ad Pilatum, petiit, impetravit, aromatibus inunxit, syndone involvit, & suis sumptibus sepulchro condidit Dominicum Corpus. Quærere hic juvat, cur Dei Filius, qui ad nutriendum corpus suum elegit Josephum ignobilem, & pauperem opificem, ad sepeliendum corpus elegerit Josephum nobilem & divitem? Respondet Sanctus Hieronymus: ideò Divina Providentia nobilem, & generis claritate fulgentem elegit, quia pauper non fuisset ausus ad Pilatum Præsidem accedere, & Crucifixi Corpus impetrare. En! quid nobilitas possit!

*Illusterrime Domine Comes!* dum levidense hoc de Christo Crucifixo opusculum ad teneras tibi manus offero, meminisse te jubeo Christi nostri Crucifixi, quem Tautomurgum Biberbachii colimus: non meliore forte usus est, dum ante duo Sæcula, videlicet circa annum post reparatam salutem millesimum quingentesimum vigesimum quintum in contiguo Wirtenbergiæ Ducatu à nefaria Iconoclastarum improbitate sede sua pulsus, inter quisquilias abjectus, ad combustionem destinatus, tandem in exilium ejectus, & à loco in locum migrare jussus nullibi locorum receptaculum, nullibi domicilium invenit. In hac derelictione Tu *Illusterrime Domine Comes, & Illu-*

*Epistola Dedicatoria.*

*Illustrissimi Progenitores Tui* verè obsequiosam charitatem Josephi Arimathæi æmulati estis: Cùm enim Sacra Crux à Catholicō auriga plaustro imposita ad Dynastiam vestram Biberbacensem delata fuit, prodigioso prorsus eventu declaravit, hic requiem suam fore, hic suam sibi sedem, & habitaculum elegisse. Mirum dictu! quām religiosa promptitudine *Illustrissimi Progenitores Tui* sacrum hunc thesaurum in suo territorio receperint, & à ducentis jam-jam annis profusa prorsus liberalitate coluerint. Laudent alii Josephi Arimathæi syndonem, laudent aromata in sacrum Christi Corpus impensa! laudo ego admirandam DD. Comitum Fuggerorum munificentiam, quibus jam ab aliquot sæculis solenne erat, non solum hic ad Sanctam Crucem Biberbachii, sed in omni, quā latè patet, patriæ nostræ ambitu, per pias fundationes, donatio-nésque amplissimarum opum impendia cum Deo partiri.

*Illustrissime Juvenis,* non injucundum, spero, tibi erit pristina Familiæ tuæ decora ad beatam æternitatem jam dudum translata paulisper remetiri, & admirari illorum, à quibus sanguinem ducis, religiosam largitatem sacris ubique locis, & Christi Crucifixi gloriæ impensam, reperies certè tantam sumptuum copiam, ut dubitari meritò fas sit, num in Illustri DD. Comitum cœtu alia ullibi reperire sit familia, quæ in DEum, DEIque sacra loca fuerit profusior. Adverte animum!

Anno 1510. vitam hanc mortalem cum immortali commutavit Udalricus Fugger, qui ad Sanctam Annam in templo Patrum Carmelitarum Augustæ suis impensis facel-

*Epistola Dedicatoria.*

ſacellum extruxit, fundavit, dotavit, ſuæ lepulturæ deſtinatum.

Eius Frater Jacobus Fugger in eodem facello Sacrificium Miſſæ quotidianum, menstruam supplicationem cum Venerabili, & anniversaria circa quatuor anni tempora, aliaque in DEI honorem celebranda instituit, qui cultus Divinus funesto tempore apostantis, & omnia ſuſ déque vertentis Lutheri in templum sancti Dominici ſeu Prædicatorum translatus eft, ubi adhuc hodie ſtatis temporibꝫ celebratur. Peninsulam in suburbio sancti Jacobi Auguſtæ, vulgo Fuggariam, ædes centum & ſex complectentem pro pauperum civium habitaculis designavit, & exædificari curavit, moriens donationes munificentissimas in cauſas pias fecit.

Anno 1537. ad plures abiit Hieronymus Fugger, qui Patris Udalriei, patruorūmque exempla pie æmulatus testamento condito pauperibus quadraginta millia florenorum legavit, & Fuggeriani Hospitalis in Waltenhausen auctor fuit.

Anno 1535. denatus eſt Reymundus Fugger, quem ſepulchralis inscriptio ad Sanctam Annam Auguſtæ de munificentia incomparabili, ac in pauperes patrocinio dilaudat.

Quid memorem Fratrem illius Antonium grande Familiae Fuggerianæ decus, & Patrem pauperum? ante mortem cuilibet egeno in publico civitatis Hospitali ac tribus Nosocomiis commoranti quatuor aureos donavit. In pauperes patresfamilias, & viduas mille taleros diſtribuit: testamentō viginti octo millia florenorum in ſolamen pauperum legavit. In die ſuorum parentalium ſingulis pauperibus ad templum sanctæ Catharinæ comparentibus, quorum numerus ad quatuor millia excreverat, ſenos crucigeros largiri conſtituit. Non ſolū in patria noſtra, ſed etiam Allmagri in regno Castiliæ ampliſſimas fundationes ad propagandum cul- tum Divinum fecit. Hospitalē Waltenhusanum ad quinquaginta ſubditos ampliavit: pro tribus honestis Fuggerorum ſubditorum filiabus dotem, pro eorumdem filiis in ſtudiosorum Academiis ſti-

XX

pendia

*Epistola Dedicatoria.*

pendia constituit. Angustæ duo nosocomia pro occulto morbo laborantibus erexit: Reipublicæ Augustanæ bellorum vexationibus depauperatæ quinquaginta millia mutua dedit. Admiranda porrò sunt, quæ nosocomiis, urbi, ac pauperibus præstítit, ita, ut potius hunc librum, quam hoc folium æquarent.

Anno 1575. ex hac luce mortali ad æternam transiit Joannes Jacobus Fugger, dictus Musarum, & literatorum unicum asylum, qui in ædibus Patrum Dominicanorum Augustæ facellum magnis sumptibus excitavit. Quem paulò ante, nempe

Anno 1569. ejus frater Georgius Fugger anteivit, qui in templo SS. Udalrici & Afræ facellum Sancto Georgio sacrum extruxit, anniversarium perpetuum fundavit, facellum clathris ferreis communivit, & pro se, suisque ibi effossâ cryptâ sepulturam de legit.

Anno 1579. utriusque frater Christophorus utrumque secutus est, è cuius hæreditate triginta millia florenorum ad pias causas relicta Patribus Societatis JESU ad construendum collegium & scholas assignata sunt.

Anno 1618. mundo ereptus est Philippus Eduardus Fugger, qui unà cum fratribus Octaviano, Reymundo, & Joanne Georgio ædes per hæreditatem acquisitas pretio duodecim millium florenorum Patribus Societatis donavit, ad construendum ibi, ubi nunc extat Collegium. Solus in æde sancti Udalrici facellum cum sepultura sibi fieri curavit, & anniversaria sacrificia magnis impensis fundavit.

Anno 1597. luce immortali frui incepit Marcus Fugger Ecclesia SS. Udalrici & Afræ munificus benefactor, ibi facellum Sancti Andreæ condidit, sumptuoso septo, marmoreis columnis, & ferreis cancellis distinxit, ac anniversarium fundavit. Scholam Babenhusanam à Patre Antonio cœptam redditibus auxit, & Hospitale Waltenhusanum decem millibus florenorum ex propriis mediis locupletavit.

Anno 1598. vivere desit Joannes Fugger insignis egenorum patronus

*Epistola Dedicatoria.*

tronus in quorum subsidium mille florenorum legavit. Quem

Anno eodem comitatus est ejus frater Jacobus Fugger, qui in  
ædibus SS. Udalrici & Afræ monumentum, altare & insigne orga-  
num constituit, additis sumptuosis fundationibus in anniversaria  
sacrificia institutis.

Anno 1614. obiit Marcus Fugger, qui præter plurimas pias fun-  
dationes in Monasterio Sancti Georgii, Sanctæ Crucis, Sanctæ Ur-  
sulæ, Beatissimæ Virginis ad Stellam ac alibi factas, Patribus Ca-  
pucinis Augustæ Monasterium & Ecclesiam extruxit, & confrater-  
nitatem Corporis Christi ad Sanctam Crucem penè extinctam re-  
fuscatavit.

Anno 1615. ad superum sedes translatus est Chrysostomus Fug-  
ger, qui præter alias amplissimas fundationes Collegio Societatis  
JESU quadraginta millia florenorum ad augmentandum Patrum  
numerum adjecit. Frater ejus Jacobus Episcopus Constantiensis  
mortuus anno 1626. ex suis facultatibus Monasterium Patrum Ca-  
pucinorum Constantiæ erexit.

En! *Illusterrime Juvenis*, quanta piæ prodigalitatis prodigia!  
quàm immodici sumptus in splendorem rei Divinæ consumpti!  
profectò per omnem Patriæ nostræ ambitum vix ullibi locorum  
reperire est regularem, aut sœcularem Ecclesiam, ubi non in fornici-  
cibus ædificiorum, aut in altarium frontispiciis, aut in pretiosissimi-  
bus, aut in aureis calicibus, aut denique in sacris vestium para-  
mentis suffixa Fuggerianæ Prosapiæ insignia coruscant & majorum  
tuorum religionem, sanctamque liberalitatem deprædicant.

At quid in antiquitatis abdita prolixè recedere juvat? ante  
oculostibi statuo Avum Antonium Josephum, qui munificus ille  
Arimathæus fuit, qui prodigiosam Crucifixi Imaginem per trin-  
ita novem annos sub templi tecto latitantem è tenebris in lucem  
protraxit: qui insignem Crucis Dominicæ Particulam in igne  
quondam mirabiliter incombustam unâ cum aurea Monstrantia,  
argenteisque candelabris dono reliquit: qui pretiosam aram fieri

*Epistola Dedicatoria.*

curavit, & Sanctorum Martyrum corpora pretioso ornatu vestivit,  
qui se suaque omnia intimo cordis affectu Christo Crucifixo tra-  
dedit.

Denique ante oculos tibi statuo Illustrissimum Parentem p. m.  
*Maximilianum Aegidium*, qui quam tenerè amaverit Crucifixum Sal-  
vatorem satis comprobat novum Beneficium seu Capellania perpe-  
tua Biberbachii magnis sumptibus fundata: quanta animi devo-  
tione Taumaturgicam Crucifixi Imaginem prosecutus sit, satis su-  
perque testantur pretiosa mnemosyna, quibus suam venerationem  
dilectionemque publicè & æternū testatam voluit. Nunc post  
mortem, nobis quidem duram quia præcocem, sed cœlo maturam,  
quia plenam virtutum exemplis, nunc, inquam, sub umbra saluti-  
fera & conspectu SS. Crucis in medio Choro quiescit, ut ab eo,  
quem vivus toto corde dilexit, etiam mortuus non recederet. An  
poterat tumulo nobiliore frui?

Sed sciscitari mihi videris, *Illustrissime Domine Comes*, quem in  
finem hæc tibi majorum exempla prolixo discursu proponam?  
cape paucis responsum: ut quorum sanguis in te confluxit, etiam  
virtus in te derivet: *Nobiles*, ait Sanctus Hieronymus, *quadam ne-  
cessitate constringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent.* Ideo,  
quisquis Paternarum opum hæres est & successor, necessè est, ut  
& paternarum virtutum sit æmulator.. Hunc certe in finem Deus  
nobiles animos in eminentiori gloriæ gradu omnium oculis con-  
spicuos fecit, ut sicut subditorum post se trahunt amores generis  
splendore, ita & trahant subditorum mores virtutum exemplis.

Verum absit à me, ut sponte currenti stimulos addam: scio,  
*Illustrissime Juvenis*, & non unius duntaxat anni experimento per-  
spectum habeo, quam generoso spiritu & capaci ad summa quæ-  
que ingenio te natura donârit, ita ut in ipso pueritiæ exordio jam  
virili sensu ætatem prævertas. Scio, & non unâ solummodo vice  
admiratus sum maturos & ad omnes modestiæ leges compositos  
mores, tenerrimos in Divinis pietatis sensus, quos sedula *Illustrissi-*

ma

*Epistola Dedicatoria.*

*me Parentis, & Illustrissimi Tutoris cura ita tibi instillant, & exco-  
lunt, ut ex tam felici aurora nil nisi magna, ac faustissima quæque  
liceat de te ominari.*

Quare age dum paulatim maturescientibus annis in literariæ pa-  
læstræ theatrum progrederis, hunc Crucifixum pro vexillo cape,  
qui tibi in omnibus sit *unus pro omnibus* scopus & finis. Felicem  
te reputa, si hunc semper oculis & animo teneas, & sacrosancta  
ejus vulnera, veluti nobilissimus ille Comes Elzarius incessanter  
inhabites.

Nos interim, quibus ad Taumaturgi Crucifixi imaginem quo-  
tidianis sacrificiis assistere licet, non cessabimus Divinam Bonita-  
tem enixè flagitare, ut vegeta semper corporis, ac animæ valetu-  
dine quam diutissimè fruaris, & ad DEI T. O. M. gloriam, ad rei  
Christianæ incrementum, ad millenorum subditorum emolumen-  
tum in seram canitiem felicissimam ætatem protrahas ac conserves.  
Ita voveo ac intimo corde exopto

**Illustrissimæ Dominationis**

**Tuæ**

**Servorum insimus**

**Antonius Ginther, Decanus  
& Parochus ad SS. Crucem  
in Biberbach.**

)() ( 3

**Ad**